DISPUTATIO JURIDICA,

DE

Contrahenda Emptione, &c.

QUAM

FAVENTE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Cl. ac Celebertimi Viri

D. D. JACOBI STEUART, Equitis Aurati,

Advocati REGII, Inclytæ

FACULTATIS JURIDICÆ

DECANI:

Necnon, ex ejusdem *FACULTATIS JURIDICÆ*

Consensu & Decreto,

Pro ADVOCATI munere consequendo,

Publicæ Eruditorum Ventilationi exhiber,

JACOBUS BAYNE Auct. & Resp.

Ad Diem 27 *Julii* Hora Locoque solitis.

EDINBURGI,

Ex Officinâ Typographicâ *Georgii Mosman.* M. DC. XCIV.



Illustrissimis, Nobilissimis, ac Potentissimis Dominis,

THOMÆ

Comiti de *Haddingtoun*, Domino de *Binny*, *Byres*, &c.

NEC NON

JOANNI

Domino de *Lesly*, &c.

Hasce Studii sui Juridici Primitias, ut & seipsum, Animo submisso atque humili offert,

JACOBUS BAYNE.

Disputatio Juridica,

DE

Contrahenda Emptione.

Thesis I.

NObilissimam, necnon humano generi utilissimam, Emptionis & Venditionis Contrahendæ materiam, dum aggredior, operæ-prætium erit, ut Etymologiam, & Significationem Vocis præmittam.

Etymon verbi, Emere, quidam ex Græco oriundum volunt, sed falso: est enim simplex verbum & ex aliena Lingua radicem non sumit. Vendere, est compositum & quidem à *Venum do*, unde apud *Livium* Venum dare pro Vendere, & apud *Aull: Gell:* Venum ire pro venire.

Emptionis, & Venditionis verbum, olim, late patuisse constat, nam apud *Festum*, Emere pro Sumere & Accipere legitur; & apud *Tullium*, quanti rem æstimo tanti sumpsisti, etiam *l.* 12. *Tab.* Emptionis verbo omnem alienationem complexa videtur. *l.* 29. *ff. de statu lib.*

Hic Contractus appellatur, Emptio & Venditio, sed hæc duo conjuncta, unum tantum Contractum efficiunt. Qui rem tradit pro pecunia, is Vendere dicitur, unde ipse Venditor; qui vicissim pro ea re pecuniam dedit, dicitur emere, unde ipse Emptor: Venditoris factum Venditio, Emptoris factum Emptio *l.* 1. *ff. de rer. Permutatione*: hinc apparet nunquam Venditionem per se solam esse posse, neque per se Emptionem, cum non sit Venditor, nisi sit qui rem emat, & pro ea pretium det; & vice versa, nullus emat nisi à Venditore qui rem tradit pro pretio. Est igitur Emptio & Venditio Contractus unus duabus hisce partibus seu factis constans, Emptione scil: & Venditione, ita ta-

ta nen hæ partes sunt inter se distinctæ, & separatæ, ut una non p esse altera, atque sunt ex genere Contrariorum quia sunt Relata que unquam-Idem & Emptor & Venditor esse potest *l. 1. ff. ae re mut. l. 1. ff. l. t.* Et quod *Gaius* Juris Consultus in *l. 19 ff. de Act. E.* dicit, Veteres in Emptione Venditioneque appellationibus pro utebantur, non ita accipiendum est ut promiscue usi sunt unâ pro ra, sed ut promiscue sint usi una sive altera pro toto Contractu, u licet cum alterutrum dicerent, intellexerunt simul Emptionem V ditionem. id est Contractum totum, interdum enim Contractus dicitur Emptio & Venditio *l. 8, 9, 11. ff. h. t.* Interdum dicitur E tio contracta esse, id est, Emptio & Venditio *l. 8 ff. de Pericul. & mod. rei Vend. l. 35. ff. h. t.* rarissime Emere, pro Vendere dicitur, quando tamen *l. un. Cod. si servus ext.* & Vendere pro Emere in *l. 4. ff. pro Empt.*

Thesis II.

Est vero Emptio Venditio Contractus Juris Gentium bonæ fidei, qu consensu initur de re Emptori tradenda, & pretio Venditori dando.

Juris Gentium] Ex hoc enim Jure omnes pène Contractus orig habent § 2, *In. de Jure N. G. & C.* Nec enim Romanorum aut al Gentis institutum est hoc negotium, ne pretii quidem definitio & r rui usus, aut distinctio inter permutationem & emptionem à Jure vili accisit, ut nonnulli perperam putant. Sed hæc omnia ratio natu pleraſque saniores Gentes docuit, ad evitanda incommoda permut num quibus ante utebantur: Quod *Paulus* J. Ctus eleganter exp in *l. 1. ff. h. t. Origo, ait, emendi vendendique à permutationibus cœpit enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia per tabat; quando plerumque evenit, ut quod alteri superest, alteri desit: Sed non semper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes quod ego desiderarem, vicem haberem quod tu accipere velles, electa materia est cujus publica a petua æstimatio, difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subve eaque moneta forma publica percussa usum dominiumque non tam ex subst præbet, quam ex quantitate, nec ultrà merx utrumque, sed alterum pre vocatur*; quod autem *Paulus* J. Ctus hic dicit, non est Romanorum p prium, sed & aliarum Gentium antiquarum, id quod ex subjecta qu ne, & factis Græcorum, de quibus agitur propositis verbis Hom

cis non tantum conſtat, ſed & aliunde liquet. Hæbræos enim Numano & Venditionibus uſos eſſe patet ex Sacro Sancta Scrip. *Gen. C.* 23 27. *Jerm.* 32. *v.* 10, & ſequente. De aliis Gentibus docet *Stobæus* ex *Theophraſto.*

Bonæ Fidei] Nam in § 28 *In. de Act.* Contractibus bonæ fidei annumeratur, & in hoc contractu venit omne id quod bona fides ſuadet *l.* 1. § 1. *l.* 11 § 1. *ff. de Act. Empt.* hinc Uſuræ debentur ex morâ *l.* 13. § 20 *ff. de Act. Empt.* cum in ſtricti Juris contractibus non debeantur niſi in ſtipulatum fint deductæ *l.* 3. *Cod. de Uſuris.* Reliqua verba definitionis tria ſubſtantialia denotant, Conſenſus, Res, & Pretium. Conſenſus ab utraque parte *l.* 9. *ff. h. t.* Res à parte Venditoris, *l.* 8. *ff. h. t.* & Pretium à parte Emptoris *l.* 2. § 1. *ff. h. t.* De ſingulis videamus.

Theſis III.

Diximus in definitione, *Qui conſenſu initur*, nam hic Contractus ſolo conſenſu perficitur; & ſimulac de re & pretio convenerit, naſcitur utrinque naturalis & civilis obligatio, licet ad conſummationem ſeu implementum requiritur numeratio pretii & ipſius rei interventus, qui extremus eſt Contrahentium finis. Nec ad hujus Contractus perfectionem requiritur Scriptura *l.* 1. § 2. *ff. h. t.* Si tamen in Scripturam redigatur ad probationem pertinebit. *l.* 17. *C. de Pactis.* Si vero pactum intervenit ut in Scripturam redigatur, tunc erit pars contractûs, qui non erit perfectus niſi Scriptura completa ſit: Quando autem id inter Contrahentes actum ſit, non ex eo intelligendum eſt quoties de negotio in conventionem deducta Scriptura confecta eſt, ſed tunc demum, cum id factum eſt, ut non aliter contractus valeat, quam ſi in ſcripturam redigatur, id vero actum intelligitur non tantum cum nominatim & expreſſe convenit ut non valeret Contractus niſi in Scripturam redactus eſſet; verumetiam ſi ſimpliciter convenerit, ut in Scriptis contraheretur, vel ſi ab initio placuerit contractum in ſcriptis fieri: nam & hic non obſcure agitur, ut contractus non niſi ſcriptus valeat; neque ad hoc expreſſiorem conventionem requirit *Juſtinianus* in *l.* 17. *Cod. de Fid. Inſtr.*

Ut ergo Emptio Venditio conſenſu ineatur requiritur ut Conſenſus ſit Liber, & ideo nemo poteſt cogi invitus ut vendat. *l.* 71 *ff l.* 11, 13, 14. *C. h. t.* ex ea quod Unuſquiſque ſit rei ſuæ Liber Moderator & Arbiter *l.* 21. *C. mand.* à qua tamen regula, multæ in Jure noſtro occurrunt

ex-

exceptiones. 1*mo.* Propter favorem Religionis, si Vicinus habeat s
pulchrum,& à Vicino ad sepulchrum ire prohibeatur; quo casu l ræ
Vicino, iter ad sepulchrum præstare justo pretio jubebit. *l.* 12. *ff.*
Relig. 2*do.* Propter favorem Libertatis, si quis Servum commune
manumitteret tum alter Dominus accepto pro parte Dominii pret
istum Servum manumittere tenebatur, quanquam olim, alter Domin
in totum acquirebat Dominium, sed hoc ut libertati invidiosum meri
ab Imp. mutatum § *ultimo In. de Donat.* 3*tio.* Propter publicam ut
tatem, nam si via publica impetu fluminis, vel ruina amissa esset, Vi
nus proximus viam præstare debebat *l.* 14. § 1. *ff. quemad. serv. amit*
4*to.* Propter malitiam Domini re sua abutentis, scilicet Domini nim
duriter Servos suos habentes *ex Constit. Divi Antonini* coguntur Serv
suos vendere; & quidem bonis conditionibus § *ultimo In. de His. qui su*
Sui vel alieni juris. 5*to.* Si quis partem suam fundi quem cum *Titio* co
munem habebat vendiderit, & antequam traderet coactus sit comm
dividundo judicium accipere. Si illi totus fundus adjudicatus sit, t
tum Emptori tradere tenetur; scilicet si Emptor refundat in quod T
condemnatus est Venditor *l.* 13. § 17. *ff. de Act. Empt.*

Liberrimus ergo debet esse Consensus in hoc Contractu, cui nihil m
gis contrarium est quam Dolus, Metus, & Error, *l.* 116 *de R. J.* sed m
omnes eodem modo, De singulis videamus, & quidem primo de Dol

Dolus dans causam Contractui bonæ fidei facit eum ipso Jure nullu
l. 7. *ff. de Dolo. l.* 3. § *ult. pro Socio. l.* 16. § 1. *ff de Minoribus*, nam
hic Contractus cum careat fundamento, bonâ nimirum fide, subsist
haud potest, quia nihil tam adversatur bonæ fidei quam Dolus *l.*
§ *ultimo ff. pro Socio. l.* 5. *C. de Rescind. Vend.* Præterea *l.* 1. *C. de Re*
Vend. & l. 6. *C. de Præscript. verb.* aperte Emptionem nullam esse, ma
interveniente fide, aiunt. Deinde hic Contractus adeo à parte decep
nullus est, ut à voluntate ejus pendeat, velitne stare, an vero recede
a Contractu *l.* 13. § 27. *ff. de Act. Empt.* si velit recedere, Contract
ipso jure nullus erit *l.* 13. § 28. *ff. eodem.* Si malit stare, habebit actio
nem ex Empto ad id quanti pluris rem emerit *Dict. l.* 13. § 4. *&* 5. *d*
Act. Empt. Si Dolus incidat in contractum bonæ fidei, non est ipso jur
nullus, sed rescissione indiget, cum ex tali Contractu detur actio *l.* 7. §
3. *l.* 9. *ff. de dolo malo. l.* 13 §. 4, 5 *ff. & l.* 2. *C. de Act. Empt.* Dolus
dicitur dare causam Contractui, quando quis Dolo inducitur ad contra
hendum qui alias non fuisset contracturus. Dolus dicitur incidere in

Emp-

Emptionem cum quis quidem animum contrahendi habuit, sed Dolo inducitur ad pluris Emendum vel minoris Vendendum. Quod ad Vim & Metum attinet non distinguendum utrum inciderint in Emptionem, an dederint causam contractui. nam Emptio Vi aut Metu contracta, ipso jure subsistit donec rescindatur *l.* 1. *C. de Rescind. vend. l.* 5. *C. de oblig. & Act*, quia coacta voluntas est voluntas *l.* 21. §. 5 *ff. quod metus causa.*

Quod ad Errorem attinet is etiam maxime consensui obest, unde Emptionem quandoque nullam facit, quandoque facit ut salvâ Emptione Errans, consequatur interesse. Error vel est in Nomine, vel in Substantia, vel in Corpore, si erratum sit in Corpore nulla erit Emptio Venditio; puta si ego me emere fundum *Tusculanum*, tu vero te *Sempronianum* vendere putes *l.* 9. *ff. h. t*, *l.* 36. *ff. de acquir. rer. dom.*

Si vero Error est in Substantia seu Materia, tum distinguendum est, aut enim Materia in qua erratum fuit, cum Materia in quam consensum est, habet aliquid Commune *v. g.* Si Acetum quod Vinum fuit, pro Vino venditum est, valet Venditio *l.* 9 §. 2. *ff. h. t.* Idem erit si me Aurum emere putem, & maxima ex parte Æs sit, quia tamen aliquid Auri habet, valebit venditio *l.* 10. *ff h. t.* Si vero nihil habet Auri, tunc Emptio nulla est, ut si Æs pro Auro vendatur, contra *Marcellum* dicendum erit *l.* 9. §. 2. *l.* 14. *ff. h. t.* Pariter si Mensa Argento cooperta vendatur pro Argentea, quia in Substantia erratur non valet *l.* 14. §. 1, *ff. h. t.* Sed si Mensa plumbea cui inest aliquod Argenti vendatur, tunc valebit Emptio, quia aliquod Argenti inest, *a. l.* 14 *ff. h. t.* Si vero erratum sit in partibus rei, veluti si Domum emi quam Ego & Venditor combustam ignorabamus, vel fundum emi in quo sunt arbores fructiferæ quas vento dejectas esse ignoravi, hoc casu, si quidem Error sit circa majorem aut talem partem cujus intuitu rem emi, nulla est emptio; si vero circa minorem partem, valet quidem Emptio (si modo Dolus absit) ita tamen ut Emptori contra Scientem Venditorem de damno detur actio *l.* 57. 58. *ff. h. t.* Si erratum sit in Qualitate, distinguendum est, si enim qualitas ignorata talis sit qui impedit Contractum, ut si liber Homo pro Servo, Res sacra, aut Publica, aliave quæ extra commercium est, pro alia vendita sit, tum Emptio nulla est; si Emptor vel Uterque ignoraverit *l.* 6. *l.* 84 § 2. *l.* 70. *ff. h. t.* §. *ultimo. In. eod.* quia Obligatio & Præstatio ex hoc Contractu, effectum sortiri

 nequit

nequit. Nec Venditor efficere potest, ut Emptori talem rem habere liceat, Et quamvis eo casu, quo liber Homo, Servus, aut Res publica privata fuerit, Emptio effectum sortiri possit, nefas tamen est hujusmodi casum expectare *l.* 34 §. 2. *ff. h. t.* Si vero in alia Qualitate erratum sit, & ignorata qualitas Contractui non obstet, sed substantiam reddat deteriorem, ut si Auro quid Æris admixtum sit, valet Venditio, ut antedictum, per *l.* 9 *in fin. l.* 10. *l.* 11. *ff. h. t.* Sed hoc similique casu Emptor cui supina ignorantia non potest imputari *l.* 15. §. 1. *ff. h. t.* Adversus Venditorem scientem ad interesse Empti agit, *l* 45. 57. §. 1. *ff. h. t. l.* 21. §. 2. *l.* 13. §. 5. *de Act. Empt.* Si vero probabilis sit ignorantia Venditoris, non quidem ad interesse, sed ipsius rei nomine tenetur *l.* 45. *ff. h. t.* Si vero Error Qualitatis gravior sit, etiam actione empti agitur, ad resolvendam Emptionem, ut Emptori pretium, Veditori res, restituatur *l.* 11. §. 5 *ff. de Act. Empt.* Si in pretio erratum sit, nulla est Emptio, utpote Error in ea re consistit ex qua præcipue Emptio contrahitur; E. G. vendidi tibi fundum (*Decem*) per Nuntium, aut per Epistolam, tu cum Epistolam aut non recte legeres, aut Nuntius tibi male retulisset, aut tu male Nuntium accepisses, putasti te emere tantum (*quinque*) & declarasti coram testibus te consentire, quia venditur tibi fundus (*quinque*) Emptio nulla est. Et hoc responsum est de Locatione & Conductione, in *l.* 52. *ff. locat.* Proinde in Emptione idem intelligendum est, quia Emptio & Venditio, Locatio, & Conductio, iisdem juris regulis continentur *l.* 1. & 2. *ff. locat.* Diversum servatur in Stipulatione, nam si stipuler à te (*Decem*) tu (*Quinque*) tantum spondeas, placuit nihilominus Stipulationem valere in (*Quinque*) *l.* 1. §. 4. *ff. de verb. oblig.* differentiæ ratio non est obscura, nam Stipulator in (*quinque*) etiam consentire intelligitur, quia pro iis (*Quinque*) qui accepit nihil, dat, & ob id, interest ejus (*Quinque*) potius habere quam nihil: In Emptione contra, qui (*Decem*) vendit, non consentit in (*Quinque*) sola, contraria de causa, quia non interest ejus in (*Quinque*) sola consentire, propterea quod pro eo pretio cogitur rem venditam tradere, aut interesse præstare, interest autem ejus nunc non vendere & tradere; pro quinque, ita Stipulatio valet propter consensum, Emptio non valet propter Dissensum; Si erratum sit in Nomine valebit Emptio, ut si in Nomine dissentiamus & de Corpore constat, *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* Nam generaliter rescriptum est errorem Nominis nusquam nocere *l.* 4. *ff. de leg.* (1.) *l.* 32. *ff. de verb. oblig*

oblig. § 39. *In. de leg.* idem est si putem me emere Virginem quæ Mulier est, secus si in Sexu erretur *l.* 11. §. 1. *ff. h. t.*

Thesis IV.

Jam de Personis quibus emere & vendere licet, & quibus prohibitum est. Regulariter omnes hi possunt, qui sufficientem consensum possint adhibere, & liberam rerum suarum habent administrationem. Merito igitur removentur ab hoc Contractu, Furiosi & Mente-capti, qui nullum omnino negotium contrahere possunt, nisi tamen habeant dilucida intervalla, quo tempore recte quodcunque negotium inire possunt *l.* 2. *C. h. t.* Prohibetur & Prodigus, cui a Magistratu bonis Interdictum est, qui licet naturaliter consentire possit, Civiliter tamen Furioso æquiparatur *l.* 40. *de Regulis Juris.* Nam quod ad bona, Furiosum dicitur facere exitum. Porro Pupillus, aut Minor, sine Tutoris, aut Curatoris autoritate *l.* 13. §. 29. *ff. de Act, Empt. l.* 3. *C. de in Integ. rest.* Prohibentur porro Magistratus eorumque Ministri & Domestici in ea Provincia cui præsunt *l.* 46. *ff. h. t.* nisi tamen prædia paterna distrahantur, *l.* 62, *ff. h. t.* aut Emptio sit circa illa, quæ ad usum quotidianum illis sunt necessaria, *l. unica C. de contr. Judicum.* Et si de facto Emptio celebrata sit, Pretium solutum Fisco applicatur, re Venditori restitutâ *l.* 46. §. 2. *ff. de Jure Fisci.* Nisi tamen Venditor metum sit passus, quo casu ei res restituenda, & sibi pretium retinet *l.* 11. *C. de his qui vi, met, caus.* Nec subsistit Emptio inter Patrem & Filium, nisi fiat circa peculium castrense, vel quasi castrense, *l.* 2. *ff. h. t.* Nec regulariter inter Tutorem & Pupillum, Curatorem & Minorem, Procuratorem & Eum cujus negotia gerit, *l.* 34 §. *ult. ff. h. t.* Nisi hi palam emant *l.* 5. *C. h. t.* Aut Tutor à Curatore, aut Curator à Concuratore, bona fide emat *l.* 5. §. 2. *ff. de Auct. Tut.* Non tamen prohibetur Cœcus, Mutus, aut Surdus, *l.* 4. §. 1. *ff. de pactis: l.* 48. *ff. de oblig. & Act.* Nisi non intelligant quod agunt §. *ult. In: de hæred: qual. & diff.* Neque prohibetur Deportatus, quia ea quæ sunt juris gentium non amittit *l.* 17 §. 1, *ff de pœnis l.* 15. *ff. de Interd. & relegat.* Etiam Medicus cum Ægroto, Advocatus cum Cliente, hunc contractum inire possunt, cum nulla lege prohibeantur.

Thesis V.

Dicitur in definitione, [*De re Emptori tradenda*] Ex quibus intelligitur, Secundum requisitum scil: *Res* quæ *Merx* vocatur *l.* 1. *ff. h. t. l.*

1. *ff. de Rer: Permut;* Hæc si nulla sit, nulla est Emptio Venditio, Et licet Mercis appellatione propriè contineantur Res Mobiles *l.* 66, *de V. S.* Attamen in hoc Contractu in latiore significatione vocabulum Mercis sumitur: & continet omnes res quas quis habere, possidere, vel persequi potest.

Emi Vendi ergo possunt omnes res quæ sunt in commercio *l.* 34. §. 1. *ff. h. t.* propriæ & alienæ, *l,* 28. *ff h. t.* quia Venditor semper de Evictione tenetur *l.* 39. *C. de evict.* non tantum Corporales, sed Incorporales, ut Nomina & Actiones, item Universales ut Hæreditas, præsentes, & Futuræ, Fructus nascituri, Frumentum in herba *l.* 8. *c.* 78. §. 3. *ff. h. t.* Immo spes & incerti eventus, ut Alea, jactus retis *l* 8. § 1. *ff. h. t. l.* 12. *ff, de Act: Empt:* Annuus Reditus sive in Fructibus sive Pecunia numerata quæ tunc ut Corpus consideratur *nov:* 72 *c* 7, *nov:* 160, *c,* 1. Res communes à singulis sociis pro sua parte *l,* 13. §, 17, *ff, de Act. Emt. l,* 68, *ff, pro Socio,* Nisi Fiscus, qui ex privilegio Rem communem in solidum Vendit *l,* 2, *C, de Commun, Rer: Alien:* Quas vero vel Natura, vel Jus gentium, vel Mores civitatis commercio exemerunt, earum nulla est Venditio, *l,* 34. §, 1, *ff, h, t.* Hic interdicitur Venditio earum rerum quæ in commercio non sunt, ut Res sacræ, Religiosæ, & Publicæ; ut Templa, Fora, Theatra, & Omnia quæ rite Deo consecrata sunt, §, *ult, In: h, t,* Excipiuntur tamen, quidam casus, quibus Res sacræ Venditionem recipiunt. 1*mo,* ad Redemptionem Captivorum, quia Homo quâvis re præstantior esse censetur, §, 8 *In: de R. D,* 2*do,* ad alendos Pauperes *l.* 21. *C. de S. S. Eccl:* etiam si tanquam accessoria alienentur, ut in *l.* 22, 23, 24. *ff. h. t.* Item Liberi Hominis nulla est Venditio §, *ult, Inst. h. t. l.* 6. *ff. h. t.* ne quidem sub conditione cum Servus erit, nam inhumanum est talem expectare casum *l.* 34. § 1, *h. t.* Et qui talem Liberum Hominem vendidit vel emit scienter Plagium committit, *l.* 1. *l. pen.* § *ult. l. ult. ff. ad l. Fab. de Plag.* Sunt tamen duo casus, quibus Liber Homo vendi possit, 1*mo.* Si Major viginti quinque annis, ad pretium participandum se venundari passus sit, propter degenerem animum, qui Libertatem, rem inæstimabilem pretio subjecit §. 4 *Inst. de Jur. Pers.* 2*do.* Si Pater magnâ fame pressus, Filium sanguinolentum distraxerit *l. ult C. de Pat, qui Fil. dist.* Quid ergo si de facto Res, quæ commercio exempta est, sit vendita? Distinguendum est 1*mo:* aut Venditor ignorans vendidit Emptori ignoranti seu scienti 2*do.* Aut Venditor sciens Emptori ignoranti; priore casu nulla

est

est Venditio, neque ullum jus Emptori ex tali Venditione acquiritur Sed si Venditor sciens vendiderit talem rem ignoranti, nulla quidem est Venditio ad effectum, seu ad rem Emptori tradendam, sed tamen Emptor habet actionem empti, ad id quod interest se non fuisse deceptum § 2. *Inst. l.* 6. 62. § 1 *ff. h. t.* Nec rei suæ consistere potest Emptio, nam quod meum est amplius meum fieri nequit § 14. *Inst. de Act. l.* 159. *de Reg. Jur.* potest tamen rei suæ quis possessionem emere *l.* 34. § 4. *ff. h. t.* etiam sub conditione si sua esse desierit *l.* 61. *ff. h. t.* Ea quoque res quæ solius Principis usui destinata est, Emptionem Privatorum non recipit, ut purpura, *l.* 1. *C. quæ res vend. non poss.* Nec Res Litigiosa *l.* 2. *& ult. ff. de Litig.* Nec Res furtiva *l.* 34. § 3. *ff. h. t.* neque Arma, Oleum, Vinum, rectè Barbaris venditur *l.* 1. 2. *C. quæ res export. non debent.* Frumentum quo exercitus nutritur, Emere prohibitum quoque est *l.* 4. *C. quæ res venai non poss.* Nec Christianus Servus Judæo permittitur, *titulus Cod. ne Mancip: Christ.* Nec Venena mala. *l.* 35. § 2. *h. t.* Nec Romanæ Gentis Eunuchi *l.* 2. *C. de Eunuch.* Nec Res quas Lex aut Testator alienari prohibuit.

Sed cum in definitione dicitur [*de re Emptori tradenda*] hic vulgo agitata quæstio, si Venditor facultatem rei tradendæ habeat, an precisè teneatur tradere, an offerendo solutionem ejus quod interest Emptoris liberetur? quod posterius affirmandum esse putamus idque non tantum rationibus, sed expressis legibus confirmatur. Et *imo.* in obligationibus faciendi, ita in universum jus est, quod Debitor liberetur solvendo id quod interest. *l.* 13. § *ult. ff. de Re Judicat. l.* 72. *prin. ff. de verb. oblig.* at talis est Obligatio quâ tenetur Venditor *l.* 25. §. 1. *ff. h. t. l.* 28. *l.* 72. *ff. de verb. oblig.* 2*do.* In plerisque juris locis legimus si res vendita non tradatur, in id quod interest agi: Venditorem non tradentem id quod interest condemnari. *l.* 1. *l.* 11. § 9. *l.* 12. *ff. de Act. Empt. l.* 10. *ff. Quib. Mod. Pig. vel Hyp. solv.* Et expresse scriptum est in *l.* 4. *C. de Act. Empt.* etiam tum Venditorem quanti Emptoris interest condemnandum, cum procacia ejus sit, quo minus non tradatur, denique in *l.* 17. *C. de Fid. Instr.* Electio & Arbitrium, ut vel rem, vel interesse præstet conceditur Venditori; adhuc Venditor potest interim rem alteri vendere, & tradendo Dominum efficere, *l.* 15. *C. de Rei Vind.* etenim si teneretur precisè rem tradere, Venditori hoc non fuisset permittendum, ut interim vendendo & tradendo, alium Dominum facere posset, sed posterior Contractus pro nullo habendus fuisset.

Thesis

Thesis VI.

Tertium Emptionis & Venditionis requisitum est Pretium, nam quemadmodum sine re quæ væneat, nulla intelligitur Emptio *l*, 8, *ff. h. t*, ita nec sine pretio, quod vicissim præstetur, Emptio esse potest *l*, 2, § 1, *ff. h. t*, *l*, 1, *ff*, *de Rer*, *Permut*. Itaque non valet Emptio quæ Donationis causâ contrahitur, *l*. 36. *l*. 38. *ff. h. t*, aut Dicis causa, si prætextu pretii quæsito, res vendatur uno nummo *l*, 46 *ff*, *locat*, quæ non vera, sed imaginaria Venditio est *l*, 38, *h*, *t*, *l*, 55, *eod*, si vero non totum pretium condonetur, sed res viliori pretio, licet donationis causâ vendita fuerit, valet Venditio. nisi sit facta inter Virum & Uxorem *l*. 38. *h. t*. Pretii requisita duo sunt; primum ut sit Certum, quamdiu enim pretium non est certum, aut determinatum, incerta est Venditio *l*. 7. § 1. *h. t*. Certum autem pretium dicitur, vel simpliciter, cum ab initio, certa quantitas constituitur, ut *Vendo tibi Domum illam, vel fundum illum, centum aureis*; vel per Relationem ad aliud, veluti *Domus illa sit mihi empta, quanti tu illam emisti*; vel *Domus illa sit tibi vendita, quot tu in arca habeas*, nam licet hic pretium apud Contrahentes adhuc sit incertum, re tamen ipsa, certum definitumque est, *l*. 7, §, *penult*, *h*, *t*, Nam ut Imp. dicit in §, *pen*, *de verb*, *oblig*. quæ per rerum naturam certa sunt, obligationem non morantur; si ergo Venditor sic dixerit, res tibi erit empta justo pretio, aut eo pretio quod justum declarabitur, Venditio adhuc imperfecta videtur, quia justi pretii modus incertus est, nisi sit in iis Mercibus quibus publicè pretium constitutum est, ut Panis, Vini, Frumenti, Carnium, Aliarumque rerum ad victum quotidianum pertinentium: Pretium Magistratus definit. Neque potest pretium conferri in arbitrium alterutrius contrahentis, ut *Vendo tibi Domum, quanti æstimaveris*, *l*. 7. *ff h. t*. ratio est, quia obligatio, est juris vinculum, quo necessitate adstringimur, alicujus rei solvendæ; atque hic nulla adstringendi necessitas *l*. 35. § 1. *ff l*. 13. *C. h. t*. valet talis tamen Venditio, Res erit tibi empta, centum, si, intra triginta dies proximos, tibi placuerit, § 4 *Inst. h. t*. nam hic non Obligatio, sed Tempus tantum confertur in arbitrium Emptoris, an ergo valet Venditio, si pretium committatur peritis Æstimatoribus, quorum alter eligendus sit, a Venditore, alter ab Emptore, communis sententia est, valere Emptionem ut conditionalem, qui enim pretium definire debet, hic magis ignotus quam incertus est *l*. 16. § 1. *de Pig*. atque certæ personæ, pretii definitio potest committi *l*. *ult*. *C*. *h. t*. Dubitatum tamen fuit inter Vete-

res

res an valeret Emptio definitione pretii collata, in arbitrium alterius certi, veluti, *Quanti Titius æstimaverit*; *Imp. Justinianus* suâ decisione sancivit, Venditionem valere, non tamen ut puram, sed conditionalem, ita quidem ut si *Titius*, sive non voluerit, sive non potuerit pretium definire, deficiat Contractus quasi conditione deficiente; utque hoc Casu non sit præsumptioni locus, quasi contrahentes voluerint, boni Viri arbitratu, pretium definiri, ut olim quidem putabant. Si ergo *Titius* arbitratus fuerit pretium, secundum ejus æstimationem, & pretium persolvi, & Venditio ad effectum pervenire debet. *l. ult. C. h. t.* § 2. *Inst. eod.* Sed quæritur, si *Titius* iniquum pretium definiverit, & tamen læsio non sit ultra dimidium, an possit ea res reduci ad arbitrium boni Viri, ut Judex æquius statuat, quod affirmandum, tum per generalem clausulam ex bono & æquo, quæ huic negotio inest, tum quod iniquitatem Arbitri, in aliis bonæ fidei judiciis sic corrigi volunt jura *l. 78. & seq ff. pro Socio.*

2do. Pretium non tantum debet esse certum, sed & consistere debet in pecunia numerata, *l.* 1. § 1. *ff. h. t.* § 2. *In. eod.* quanquam olim *Sabinus* & *Cassius* putabant pretium etiam in alia re consistere posse, sed diversæ Scholæ Autores contra sentiebant, aliudque existimabant permutationem rerum, aliud Emptionem & Venditionem, & *Proculi* sententia merito placuit, dicentis permutationem propriam esse speciem Contractus, à Venditione separatam § 2 *Inst. h. t.* Quid tamen si pro re partim res, partim pecunia detur, videndum quid inter Contrahentes actum sit, an Emptionem, an Permutationem inire voluerint, si hoc non constat, videndum an pretium prædominetur, & erit Emptio, an Res. & erit Permutatio, si Res & Pecunia ejusdem sint valoris, præsumenda est Emptio; credibile enim est, Contrahentes firmiorem plenioremque Contractum inire voluisse; interposito itaque consensu de re, & pretio, licet nec traditio rei, nec pretii numeratio intervenerit, perfecta est Emptio & Venditio, *l.* 2. § 1. *ff. h. t. l.* 9, 12. *C. eod.* licet traditione demum consummetur *l.* 8. *ff. de Rescind. Vend.*

Thesis VII.

Cum autem Emptio perfecta sit, quod effici diximus, simulatque de re & pretio convenerit, tunc scimus, ut dicit *Paul:* J, Ctus. in *l.* 8. *ff. ae per: & com: rei vend.* Cujus sit periculum; Nam simulac Emptio perfecta est, uti omne commodum, veluti Fructus, Partus, Omnisque ac-

a ceſſio ad Emptorem pertinet §. 3. *In. h.t. l.7 ff. de per: & com: rei: vend.* ita ad eundum ſpectat omne periculum atque rei incommodum *d. §. 3. Inſt. h. t. d. l. 7, l. 8, ff. de per: & com: rei vend, l. 1, 4. l. pen: C. eod,* ſic ut Emptor etiam poſt rei interitum, ad univerſi pretii præſtationem obligatus ſit *dict: §. 3, in: h, t,* Si ergo Venditio perfecta non ſit, periculum non ad Emptorem, ſed ad Venditorem ſpectare debet, veluti, 1*mo.* Si Venditio fuerit conditionalis, totius quidem rei interitus, pendente conditione, contingens Venditori nocet, parte vero tantum extinctâ, vel re aliter deteriore redditâ, Emptoris damnum erit, (niſi aliud actum ſit) *l, 8, l, 10, ff. de periculo: & commod: rei: vend:* Nec 2*do,* perfecta intelligitur Emptio earum rerum quæ pondere, numero, & menſurâ conſtant, & ponderationem, numerationem, aut admenſionem requirunt, antequam iſta ponderatio, admenſio aut numeratio facta ſit, veluti in Frumento, Vino, Oleo, Argento, *l. 35. §. 5. ff, h, t, l, 1, l, 2, Cod: de per: & commod: rei: Vend,* niſi ejuſmodi res per Averſionem aut ita Emptæ ſunt, ut talem admenſionem non requirant *l, 35 §, 6 ff, h, t, l, 4 §, 1, l, 15, ff, l, 2, C. de per, & com: rei vend:* 3*tio,* Nec perfecta eſt Venditio ea lege facta ut Vinum prius guſtetur, adeoque tum quoque ante deguſtationem periculum eſt Venditoris, quia res nondum pleniſſime venit, etſi vaſa ſignata ſint *l, 1, prin: ff, de per: & com: rei. vend.* Niſi Emptor moram guſtandi fecerit, & diem guſtationi dictam præterire ſinat *l. 4, §, 1. ff, de per: & com: rei vend.* Si vero Vina corrupta ſint ante Deguſtationem, & Emptor deguſtando malè probaverit, non tenetur Venditor, nec ſi corrupta ſunt interim dum Emptor ceſſavit tollere, niſi Venditor de bonitate eorum affirmaverit, aut ſciens Vinum ad tempus guſtationis durare non poſſe, Emptorem de eo non admonuerit. Licet autem Emptoris periculo res ſit, Venditor tamen ante traditionem in ea aſſervanda dolum, latam & levem culpam præſtare debet *l, 5. §. 2, ff, commod: l. 33. de R. I, l, 35, §. 4 ff, h, t.* Niſi Emptor in recipienda re, moram fecerit, quo caſu Venditor de ſolo dolo in poſterum tenetur *l, 17, ff. de per: & com, rei ven:* Sunt etiam caſus quibus rei Venditæ periculum ad Venditorem pertinet etſi perfecta ſit Emptio, 1*mo,* Si ſpeciatim conventum ſit, ut Venditoris ſit periculum *§. 3 In, h, t,* 2*do,* Si Dolus vel Culpa Venditoris caſui cauſam dedit *d. §. 3, Inſt, h, t, l, 15, ff, de per, & com, rei vend,* aut ſi mora tradendi ſit Venditor *l, 17, ff, l, 1, C, de per. & com, rei, vend* 3*tio,* Si Venditio ſit alternatim facta, veluti eſt mihi *Stychus* aut *Pamphilus*

Emptus

emptus, & si unus perierit, perit Venditori, reliquus periculo est Emptoris *l.* 34. § 6. *ff. h. t.*

Thesis VIII.

Alter effectus Emptionis & Venditionis perfectæ in obligatione mutua consistit, quod ab ea alteri altero invito recedere non licet, sed tantum communi consensu *l.* 17. *C. de Fid. Instr.* Nam nihil tam naturale quam unumquidque dissolvere eo genere quo colligatum est *l.* 35. *ff. R. J.* Nam sicut Emptio solo consensu contrahitur, ita contrario consensu resolvitur Nam sublata consensu mutuo tollitur id ex quo obligatio substantiam accepit, quod ita verum est, si nihil præter consensum ad negotium accesserit, id est, si res sit integra *l.* 1. § 2, *C. Quando licet ab empt: reced.* § 4. *Inst. Quibus mod. obl. solv.* Nec rei traditio nec pretii solutio facta sit, *l.* 7. § 6. *ff. de Pactis. l.* 3. *l.* 5. § 1 *ff. de Rescind. Vend.* Nam si quid horum intervenerit, consensu contrario resolvi non potest, nisi simul restituantur, quæ tradita sunt, quia non interest, an integris omnibus, an in integrum restitutis recedatur *l.* 58. *ff de Pactis.* Sed quæritur si Arrhæ intervenerint, an potest alter altero invito recedere a contractu, sub dispendio Arrharum, quod omnino negandum esse putamus. Nam licet Arrhæ intervenerint, res nihilominus manet integra, & Emptio utriusque consensu contracta utriusque quoque consensu dissolvitur *l.* 3, *ff de Rescind. Vend. l.* 11, § 6 *ff de Act. Empt.* Quid enim certius hac juris sententiâ, obligationi semel constitutæ renunciare, invito Adversario, non licere *l.* 5, *C. de obl. & act.* Atque hoc maxime valere debet in Contractu Emptionis & Venditionis, *l.* 58, *ff de Pact.* adeoque constitutum, ut nec ex rescripto Principis ab Emptione jure perfecta recedi possit, *l.* 3, *C. de Rescind. Vend.* Et cum omnes fateantur Emptionem simpliciter & sine Arrhis contractam, unius voluntate non posse fieri irritam, absurdissimum foret, si dicamus Arrharum datione facilius infirmari; cum Arrhæ, non ad infirmandum, sed confirmandum negotium dentur.

Thesis IX.

Ex hac mutua obligatione duæ oriuntur Actiones Empti & Venditi, Actio Empti, est *Actio personalis bonæ fidei, quæ datur Emptori adversus Venditorem, ut rem Venditam tradat, cum omni accessione.* Datur Emptori *l.* 11. *ff. de Act. Empt.* etiam hæredibus ejus, quia est rei persecutoria *l.* 10. *ff. eod.* Quod si Procurator emerit, datur utilis actio Domi-

no *l.* 13. § 25. *de Action. Empt.* Cæterum non aliter Emptori hæc actio datur, quam si pretium solverit, nascitur quidem ubi Contractus est perfectus, etiam non soluto pretio § 3. *In. h. t.* sed cum effectu in judicio tum potest deduci, quando pretium est solutum, satisfactum. *d. l.* 11. § 2. *ff. de Act. Empt. vel Oblatum,* aut si fides de pretio habeatur: § 41. *de R. Divis. l.* 5. § 18. *ff de Trib. Actione.* Datur adversus Venditorem *l.* 1. § 1 *de Act. Empt.* Etiam contra Pupillum. sive ipse Tutore authore vendiderit, sive ipse Tutor, *l.* 7. § 1. *ff. de Rescind. Vend.* Quod si Procurator vendiderit, datur utilis actio contra Dominum *l.* 13. § 25. *ff. h. t.* Petitur hac actione, ut res tradatur cum fructibus à tempore Venditionis perceptis, omnibusque accessionibus, vel speciali pacto comprehensis, vel ex generali Emptionis natura præstare solitis *l.* 13. § *ult. ff. de Act. Empt.* Ita autem res tradenda, ut in Emptorem dominium transeat. Si Venditor sit Dominus, vel si res aliena vendita sit, vacua rei possessio cum facultate usu capiendi *l.* 2. § 1. *ff. de Act. Empt. l.* 11. § 2. *eod.* Tendit insuper hæc actio ad id ut Venditor actiones cedat emptæ rei nomine sibi competentes § 3. *Inst. h. t.* & cautionem præstet de restituendo quod ad ipsum ex re vendita aliquando pervenit, *l.* 23. *ff. de Act Empt.* Denique id quod interest, si vel Res aliena Vendita sit, licet nondum evicta *l.* 30 § *ult. ff. de Act. Emp.* vel Res sacra ignoranti pro Profana sit distracta § *ult. Inst. h. t.* vel Venditor malum vicinum celavit *l.* 35. § *ult. ff. h. t.* vel Venditor in mora tradendi sit, aut dolo fecerit, quo minus tradere possit, aut perfracte, tradere nollet, licet tradendæ rei facultatem habeat, neque enim Venditor ad factum traditionis præcisè cogi potest, ut supradictum, sed præstando interesse liberatur. *l.* 13. *ff. in fine. de re Judicat.*

Thesis X.

Actio venditi, est *Actio personalis, bonæ fidei, rei persecutoria, qua datur Venditori adversus Emptorem, re traditâ, ad pretium dandum, & omne id præstandum, quod ex bono & æquo, aut naturâ Contractus, venit.* Datur Venditori hæc actio & ejus hæredibus *l.* 13 § 19. *ff. de Act. Empt.* adversus Emptorem, & ejus hæredes *l.* 1. *C. eod.* Utilis datur Domino & in Dominum Procuratoris, *l.* 13. § 25. *de Act. Empt.* Petitur hac actione, pretium *l.* 17. § 20 *ff. de Act. Empt.* Etiam omne interesse quod ab Emptore Venditori præstandum est *l.* 13. § 19 *ff. de Act. Empt.* Etiam Usuræ ob moram, *d. l.* 13. § 19. 20. *ff. l.* 5. *C. de Act. Empt.* Etiam impensas ne-

ccessarias & utiles, quas Venditor post contractam Venditionem, in rem impendit *l* 13 § 22, *ff de Actionibus Empt.* Fructus, quos Emptor ante Venditionem perfectam percepit *l*, 2, *C*, *de Act*, *Empt*, Etiam Dolus Emptoris in hanc actionem venit, si iniqua pondera adhibuit, & nonnunquam ob Circumventionem & alias causas ad rescindendum contractum agitur.

CORROLARIA.

Pacta Contractui bonæ fidi incontinenti adjecta, formant actionem ex ipso Contractu,

II.

Pacta Detrahentia Emptioni adjecta etiam ex intervallo, insunt Contractui ita ut inde detur actio, adjicientia tantum prosunt ad exceptionem.

III.

Beneficium l. 2. C. de Resc: vend. *non competit Venditori scienti valorem rei venditæ.*

IV.

Si res in diem addicta & Emptori tradita Addicentis fuerit, dominium & jus rem oppignorandi, sin aliena fuerit potestas usu capiendi in Emptorem transit.

V.

Venditor post diei lapsum potest uti beneficio legis commissoriæ vel non, & si velit uti; potest rem cum fructibus vindicare.

VI.

Pactum Retractus Gentilitii etiam in Jure Civili fundamentum habet, sed ex hoc pacto non competit rei vindicatio, sed actio ex Contractu.

VII. In-

VII.

In querela inofficioſi teſtamenti eſt locus ſucceſſorio Edicto.

VIII.

In præſcriptione ſervitutum non ſemper opus eſt titulo.

IX.

Maſculus cum Fœmina intercedens, ſubducta perſona mulieris in ſolidum obligatur.

X.

Mulier renuntians ſenatuſconſulto Velleiano non cenſetur renuntiare auth, ſi qua Mulier Cod. ad SCtum. Velleianum.

XI.

Juri offerendi debiti tuendique pignoris præſcribetur 30 *vel annis.* 40

XII.

Per vulgarem ſubſtitutionem non tollitur Suitas.